









1699.

1. <sup>12</sup>Cramerus, Johannes Tritavian: De causis consistensibus  
2 Saesth 1699: 1737
2. Goeckel, Rudolph Christian: De morbis oculi pichatis.  
volgo in Ley - Huppen, Pfund oder Parletts  
Aumbleris
3. Haering, Georgius Nicolaus: De reintegratione  
matrimonii
4. <sup>12</sup>Heberer, Johann Wulffgang: De arrogatione episcopum.  
que effectibus, tam quoad jus vetus, quam novum,  
adfecta similitudine, quam sortibus cum emione  
Pratium 1699: 1725
5. Hiwelsander, Henricus: De punctationibus volgo in  
Intenaffen oder ersten Aufsezer
6. Hiwelsander, Henricus: Mandata secreta.
7. Roetenbeccus, Georgius Puntus: An mare Domini  
sive imperii sit capax.



1700

1<sup>a</sup> <sup>2</sup> Hildebrandus, Henricus: De denegatione servitorum  
feudalium. Von Persagen der Pöthke und Lehmann Bierte

2 Exempl. 1700 & 1789

2. Hildebrandus, Henricus: Praevalidiam actionum in  
foro . . . servitorum ventilatione exhibit

3. Reissleiter, Johann Henricus: De inventionis praesens

4. Rink, Eucherius. Gollub et Sen, Franciscus, vna:

De carrocitis

5. Rothenbaccius, Georgius Paulus: De ciuitatibus suis et  
patriae causa officinale tam stricte dicta quam  
impulsiue

6<sup>a</sup> <sup>2</sup> Stelzerus, Georgius Petrus: De iuribus stulac

2 Exempl. 1700 & 1756

1701.

1. Hildebrandus, Henricus: De augmentis culpae

2. Niers, Stephanus Faculus: De ecclesiis filialibus  
eiusque iuribus
3. Roemer, Georgius Hieronymus: De philodromi agendi  
mori et noxiis.
4. Rulstedt, Johannes Hieronymus: De rebus publicis  
collectivis obnoxiarum. Vn. Verhalten Haerbahren  
Vermögens.
5. Spiziger, Felix: De precurationibus canonicis.  
Vn. Vintatun. Mahler i. Vorpflanzung. 1. Band
6. Sandner, Joh. David: De declaratione honoris iniuriato  
ab iniuria facta. 1701.
6. " " " " " " " " 1701. 2. Expt.

179  
G...  
de...  
...  
...





Q. D. B. V.  
DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA

20  
20

DE  
**PHILTRORVM**  
**AGENDI MODO**

ET  
**NOXIS,** 1701 3

Quam  
ASSISTENTE  
DIVINI NUMINIS AVXILIO.

CONSENSV AC AVTORITATE

*GRATIOSISSIMÆ*

FACVLTATIS MEDICÆ,  
IN CELEBERRIMA VNIVERSITATE  
ALTDORFFINA

**PRO LICENTIA**  
SVM MOS IN ARTE MEDICA  
HONORES, IMMVNITATES AC PRIVI-  
LEGIA DOCTORALIA

ritè impetrandi,

Die, XIII. Octobr. A. O. R. M D CCI.

*Æquo Eruditorum Judio*

submittet

GEORGIVS HIERONYMVS ROESER,  
Noribergensis.

---

Literis HENRICI MEYERI, Univerfit. Typographi.







PRÆFATIO.

**F**regia esse L. B. hodierna omnium ferè scientiarum incrementa, & misera earundem quondam, si Antiquorum evolvamur monumenta, conditio, & tot tantag. seculi haud ita pridem præterlapsi inventa nova, facili nobis negotio demonstrant. Quòd si enim solius saltem Artis medicæ nostræ, ne falcem in alienam immittere messem videamur, hac, qua olim exculta erat methòdo, accuratius paulo intueamur sortem, præter inevitabilem errorum multitudinem cimmeriis adeo eandem involutam fuisse tenebris deprehendemus, ut Argi etiam juxta Plautum totius oculi vix suffecissent oculi ad Veritatem inde extricandam; siquidem præter ea, quæ obscure satis explicabant, doctrinæ imperfectæ argumenta, quamplurimos circa corpora naturalia contingentes effectus, quorum operandi agendi ve modum ignorabant, ad occultarum tum temporis sic dictarum qualitatum classem relegare illico non erubescabant; ne dicam de genuina corporis humani, Medicinæ subjecti, structura modernorum demum Anatomicorum solertia detecta, rudiori sane penicillo ab illis depicta, neq. attingam porro curiosa naturæ mysteria, chemiæ & philosophiæ sic dictæ experimentali natales suos debentia, illis prorsus incognita. Longè præstantiori ergo, eaq. nitidiori, hodiernam <sup>inter</sup> nostram incedere



dere facie, extra omnem apud Eruditos omnes controversiam positum esse arbitror. Equidem insicias ire nolim, habere & veteres in scriptis suis quæ posteri admirentur, quæ imitentur, suasque propterea & illos manere laudes & gloriam post mortalitatis fata adhuc superstites, à recentiorum tamen inventis scrutiniis, & experimentis, antiquorum dogmata & placita longissimo distantia esse inter vallo nullus negabit: quum nunquam, Comico jamdum teste; ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuerit, quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias. Cui enim quæso sanguinis circulus ante Harvæum, fabrica partium utriusque sexus speciei propagationi intervenientium ante Grævium, hepatis lienis & pulmonum compositio ante Malpighium, cerebri, ventriculi, & intestinorum textura ante Willisium, cordis compages ante Lowerum, (ut alia silentii conopæo involvam,) accurate adeo fuisse cognita? Quis porro in chemia unquam & philosophia experimentalis ante Verulamium & Boyleum solide quicquam præstitit? Hinc male adeo nostris hisce temporibus audire cœperunt qualitates supradictæ occultæ, ut asyla etiam ignorantiae haud immerito à sublimioris sortis eruditibus dictæ fuerint, quoniam nullus effectus in corporibus sine causa, nulla causa sine motu, nullus motus sine materia, & nulla materiae actio sine contactu fit, adeo ut id, quod nonnunquam sensibus, rationi non æque occultum semper dicendum sit; explicatu quidem esse difficile, quomodo corporis & animi vitia à parentibus ad liberos sicuti & virtutes deriventur, qua ratione saliva canis rabidi caninos homini introducere mores possit, haud diffiteor, neque tamen ea propter prorsus impossibile, & melius longe, hoc etiam in passu, juxta proverbium, esse arbitror, dicere aliquid quam nihil. Jam verò si quicquam adhuc hodie difficile est, quod querendo ulterius investigari meretur, id sane est implacatissima de Philtrorum agendi modo materia (quam thematis

in-

inauguralis loco sequentes continebunt pagellæ) effectus quippe eorundem prævisos partim, partim inopinatos, tot testantur medicorum æque ac aliorum historia: circa formalem tamen illorum ipsorum agendi rationem Authorum vix negare possumus disensum, dum alii amorem per causas naturales excitari posse affirmant, alii negant, contendentes omnia pibitra, certum imprimis vel propositum effectum edentia, ex naturalium causarum classe ad demonicas fraudes referenda esse. Quum vero hæc res altioris nonnihil sit indaginis, ex cuius veritate non exigua in forum æque Juris Consultorum propter pœnam, quam Medicorum propter curam, redundabit utilitas, pressius paulo eandem pro tenuibus ingenii viribus examinare cum DEO constitutum est. Præagiebat equidem animus, quum argumentum hocce eligebam, fore plerosq, qui glaciem hanc ab aliis jam fractam censebunt, noctuas me Athenas esse portaturum arbitraturi, quibus tamen hæc inserviat responsio, me nullo modo hoc negare, neque vanæ hujus laudis prurigine unquam laborasse, satius quandoq, esse ducens, retardare potius calamum quam impellere; interim cum inevitabilis quædam necessitatis lex Dissertationis alicujus elaborationem mihi injunxerit, hanc saltem sumsi pertractandam materiam curiosam non minus quam necessariam, ut ansam præbere possem felicioribus forte ingenii ulterius eandem indagandi. Tu igitur, Cœleste Numen, à quo agenda nobis capiendaque merito omnium actionum nostrarum primordia sunt, clementer his annue cœptis, & Divino sapientiæ tuæ afflata mentis imbecillitati succurre, ut si non omni ex parte perfecta, non omni tamen fructu destituta, hæc mea Dissertatio fiet,

Tu rege consiliis actus, Pater optime, nostros,  
Nostrum opus, ut laudi serviat omne Tuæ!

SECTIONIS PRIORIS  
CAPVT I.

De  
*Philtris agit in genere.*

§. 1.

**P**hiltra esse, imo olim jam fuisse, satis historiarum confirmant, adeo ut de probanda illorum existentia nobis nequidem sollicitis, ne dicam prolixis esse conveniat. Quid autem per philtra denotetur accurate satis describitur in aureo Venerandi Uniuersitatis nostrae & Facultatis Medicæ Senioris, omni nostro elogio longe maioris, Excell. DN. D. BRVNONIS, Patroni ac Præceptoris mei summo-  
pere colendi Lexico, ne autem sacras transgredi videar dis-  
sertationum leges, aut ἀνέφαλον veluti dissertatio sit, ety-  
mologicam eorundem analysin paucissimis saltem hic deli-  
babo. Philtrum ergo origine græcum nomen, Φίλτρον,  
derivatur ἀπὸ τῆς Φιλίης, amare, quod ceu ab effectu desumptum  
sua quoque Latini civitate donarunt, circumscribentes illud in-  
terdum per poculum amatorium, Germanis ein Liebes Trank/  
quoniam formâ ut plurimum liquidâ, quâ citius operari di-  
citur, ad instar potus propinatur. Facilis hinc erit subne-  
ctenda Philtrorum in genere definitio: quæ Pharmaca esse  
pronuncio ad amorem conciliandum exhibita. Pharmaca  
autem denominare illa haud vereor, quoniam 1. aliorum in-  
star medicamentorum corpus alterant, 2. communi cum illis  
modo pulveris, modo potionis vel aliâ forma gaudent, latius sal-  
tem sunt a Pharmaci voce, quatenus ad omne veneficiorum ge-  
nus ab antiquis etiam extenditur, etiam si strictè accepta purgans  
apud eosdem & cum primis Hippocratem olim denotaverit.

§. 2. In

§. 2. In varias præsentem quoad materiam Authores discessisse sententias, supra jam innui, quos inter plurimi amorem per causas excitari posse naturales profus abnegantes, triplicem Philtrorum constituere differentiam; dum illa in Naturalia, Moralia, & Magica subdividerunt. Per Naturalia 1. intellexerunt illam spirituum ac humorum harmoniam, quæ occurrit in consanguineis, ac dependentem inde mutuum amorem, 2. peculiarem quorundam dispositionem, qua naturali quadam ad hanc magis vel illam personam ferri quosdam inclinatione, experientia comprobatur, alios plus quam vatiniano prosequentes odio, sibiipsis interim, cur hoc faciant, nesciis, de quibus notum satis est Poëtæ distichon:

*Livia non amo Te, nec possum dicere, quare,  
Hoc saltem possum dicere, non amo Te.*

Sicuti idem confirmat usitata Germanorum loquendi phrasis: Ich bin dieser oder jener Persohn so gewogen / und kan doch nicht sagen / warum / es dünckt mich / ich müsse ihr gut seyn. 3. externam corporis venustatem & pulchritudinem, tanto enim Potipharis uxor Josephi egregiæ formæ adolescentis, (ut exemplo ex sacris petito rem illustremus) flagravat amore, ut relicto etiam pallio castitatem servare suam Josephus coactus fuerit. Profanorum si evolvere placeat historiographorum monumenta, duo nobis obveniunt exempla, apprime præ cæteris hic notatu digna, quorum prius de Antiocho Seleuci Regis Filio Valer. Max. l. 5. c. 7. annoravit, posterius de Olympia Philippi Macedonum Regis conjuge refertur, cui cum Rege marito ingenti puellæ alicujus amore ardente, persuasum ab aliis esset, Philtrum amoris hujus existere causam à puella Regi propinatum, adduci eandem jussit, visâque formæ elegantia morumque suavitate, missâ Philtri suspicione exclamasse dicitur: κατέζωσαν δισβολαί, σὺ γὰρ ἐν σελυτῇ Φάρμακα ἔχεις. Valeant calumniæ, tu enim in te Philtra habes.

§. 3. Mo-

§. 3. Moralium subierunt censum inclinationes in diversa subjecta ex morum similitudine oriundæ, nullum enim commercium est Marti cum Musis, neque magnanimi cum timidis libenter conversantur, sed simile simili perpetuo gaudet, & tristes promptius associantur tristibus quam jocosis, ambitiosi magis favent superbis quam humilibus. Magica tandem Philtra dicta sunt omnia illa, quæ arte parata corpus & animum movent, in duas autem rursus ratione materiae subdivisa classes, prout eorum alia magicam & supersticiosam, alia naturalem ex triplici sic dicto animali, minerali, vegetabilique regno petitam agnoscunt materiam, concurrente utrobique diaboli cooperatione.

§. 4. Quamvis autem suo quemque abundare sensu facile permittam, ignoscent tamen beati antiquorum hypotheseos supradictæ asseclarum manes, ut & viva adhuc, quæ eidem ad stipulantur sententiæ, eruditorum lumina, si relictis illorum castris in aliam abire sententiam veritatis amore & adæstia convictus cogar, statuens: ex causis mere naturalibus sine ulla dæmonis vel explicita vel implicita commixtione, excitari amorem posse, & philtra etiam existere mere naturalia, sicuti id diversis comprobare licebit rationibus, haud levis ut arbitrator, momenti; interim hancce opinionem nulli obtrudere, multo minus ingenium ostentare, sed dextræ potius eruditorum disquisitioni relinquere animus est, tantum enim abest, ut vana me vexet hæc gloria mundi, ut aliorum potius magni semper æstimem eruditionem studiis meis cum Deo & die incrementa daturam.

## CAP. II.

### *Philtrorum in genere recenset materias*

§. 1.

**P**Rius igitur quam ad ulteriorem hypotheseos propositæ declarationem pedem promoveam, non abs re fore arbitror,



bitror, Philtrorum examinare materiam, quam duplicem esse supra jamjam indicavi, magicam aliam & supersticiosam, aliam naturalem. Ad priorem classem pertinent: 1. verba de quibus Poëta, miscent herbas, & non innoxia verba, 2. characteres, signa, cantiones, ceremoniæ, de quibus elegans extat apud Xenophontem l. 2. memorabil. p. m. 750. locus: feruntur, inquit, quædam carmina esse, quæ qui sciunt canentes, quos volunt amicos sibi possunt facere, esse vero & philtira, quorum periti ad quoscunque tandem iis utantur, ab illis diliguntur; nec omittenda sunt 3. huic quoque annumerandæ materiæ imagines cereæ quarum apud Poëtas passim fit mentio, sic enim Ovidius canit:

*Devovet absentes, simulacraq, cerea fingit,  
Et miserum tenues in jecur agit acus.*

Quod clarius paulo exprimitur in pharmaceutria apud Virgîlium hunc in modum:

*Limus ut hic durefcit, & hæc ut cera liquefcit,  
Vno & eodem igni sic nostro Daphnis amore.*

Quemadmodum vero ipsa materia, sic applicandi quoque variat modus, vel enim imprecationibus, invocationibus, consecrationibus, vel adjurationibus, rem expediunt, modo autem signa recitant, modo corollis, annulis, amuletis, clavis, acubus aliisque rebus inscribunt detestanda illa dæmonis principia, ut speratum consequantur effectum, qualia quidem philtira, & materiam revera supersticiosam, & explicitum cum dæmone pactum præsupponentia, jure omni meritoque ad fascinum referuntur.

§. 2. Alium autem adhuc mille hic fraudum artifex fovet morem, quando aperto per fascinum Marte aggredi homines non audet, dum res etiam naturales (ne fucus tam cito innotescat,) in usum trahere svadet, quas ex triplici vegetabilium, mineralium & animalium regno peritas nunc et-

iam considerabimus; Et ex vegetabili quidem Regno variis veneficæ utuntur herbis, quibus sua demum signa & characteres addunt, juxta illud Virgilii supra allegatum, ex minerali mutantur lapides; quod, ut alia silentii conopœo involvamus, Petrarchæ confirmat de Carolo Magno Imperatore historia, amasiam etiam mortuam deperditæ adeo amante, ob philtum ex lapide annulo incluso sub demortuæ lingua invento. Nec animali Regno parcere satanas solet, hîc enim os de rana viridi in formicarum acervo exesa sinistrum per contactum amorem excitans deprædicatur, alibi cor hirundinis, aut alterius cujusdam animalis gestatum amabilem reddere hominem perhibetur, ne detestando tandem sceleri aliquid desit, de humano etiam corpore unguium resegmina, fascias, aut vestimenti saltem partem ad nefandi propositi scopum male feriati homines adhibere non verentur.

§. 3. Quemadmodum igitur inter naturalia referri vix merentur, quæ naturæ non tantum spheram transcendunt, sed & supersticiosa sive explicitum sive implicitum cum dæmone pactum supponunt; sic magica pari modo non statim sunt dicenda, aut ad fascino illico referenda, quæ naturæ horizontem non superant, à solo homine sine superstitionis nota excluso prorsus satanæ consortio peragenda. Id quod non paucos inter eruditos accuratiori judicii lance rem pensantes permovit, naturalia etiam eatenus concedere philtia, quatenus nullam eorum vel præparatio, vel applicatio, vel effectus, dæmonis involvat cooperationem, non alium tamen illis tribuentes effectum, quam stimuli veneri exaggerationem, vel irritando, vel feminis, vel spirituum copiam suppeditando, quo nomine vel ipsam lupi virgam, vel extremum ejusdem pilum, cervi vel tauri priapum, hyænæ uterum, stincum marinum, cantharides, boleta cervina, asini, felisque cerebrum, philtorum materiis annumerarunt.

§. 4. Quis

§. 4. Quis autem accuratiori considerans oculo attributam philtris efficaciam, applicatam ad simplicium modo recensitorum effectum, hic non videt, ea philtrorum ne quidem mereri titulum, multominus peculiarem iisdem peragere posse operationem; sicuti enim philtra in certum, ut in sequentibus demonstratum dabimus, individuum, sic aphrodisiaca supra dicta in omnes in genere agunt, neque ut philtra amorem, sed cœcam saltem taurorum instar in venerem libidinem inducunt, & si quem forte obtinuerint philtra ex simplicibus hisce composita effectum, philtris proprie dictis competentem, non per naturam eundem contigisse, sed magicis annumerandum esse fascinationibus certo arbitramur, quomodo enim comparata esse debeant pharmaca philtrorum naturalium nomine jure meritoque insignienda, ex subsequenti capituli tractatione clarius patefcet.

### CAP. III.

#### *Philtra in specie naturalia eorumque materias rimatur.*

§. 1.

RElictis ergò magicis etiam philtris ad palmarium dissertationis nostræ scopum, probandam scilicet naturalium existentiam, pedem ulterius promovebimus, materias insimul eorundem, ea qua fieri potest brevitate, indigitaturi. Quum vero longissimo distent philtra hæc nostra à supra recensitis intervallo, definitionem eorundem præmittere necessum erit. Philtra ergo nobis naturalia sunt pharmaca, ex naturalibus concinnata ingredientibus, modo prorsus naturali amorem inducentia in certo individuo. Genus autem loco hic rursus posuimus pharmaca, ob rationes superius jamdum adductas, addidimus ex naturalibus concinnata ingredientibus, ut excluda-

mus non tantum materiam omnem supersticiosam & magicam, sed & eam, cui, quamvis quoad originem naturali, effectus philtorum horum tribui nequit, naturali prorsus modo, quo ipso omnem à philtorum agendi modo vel manifestam, vel occultam excludimus diaboli cooperationem, amorem inducentia in certo individuo, quæ postrema definitionis verba specificam indicant philtorum horum ab aliis differentiam, de quibus §. 4. capitis antecedentis verba fecimus. Jaceamus ergo aleam periculum facturi, quid valeant humeri, quid ferre recusent, num probari à nobis poterunt philtora in rerum natura existentia, cum quibus ceu definito conveniat rite in omnibus modo data definitio?

§. 2. Ceu concessum vero ante omnia supponimus, æternam Divini Conditoris in animæ cum corpore unione sancitam legem, qua adstrictam esse animam novimus, organis mediantibus suas peragere operationes, quibus etiam læsis, vel vitiose, ut in deliriis, vel prorsus non agere potest, ut in aponia, apoplexia &c. Negari porro nullo modo posse confidimus, animam nostram secundum ideas judicare receptas, (per quas non nudos conceptus & entia rationis, sive pura figmenta, sed entia realia, revera existentia & agentia subintellecta volumus) quas vel externas esse, per sensus externos receptas, mentique oblatas, (de quibus axioma illud Philosophicum, nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu) vel internas arbitramur, quales verbi gratia sunt ideæ veneræ ex feminis abundantia in pollutione nocturna oriundæ, secundum humorum constitutionem formata, qui si subtilis & temperati, ideas suppeditant activas, crassis vero fixisque abundantes particulis, torpidas languidasque, id quod illustrare non parum videntur actionum differentia à temperamentorum diversitate oriundæ, utpote quæ activiores longe deprehenduntur in sanguineis & cholericis, mirum e contra languidæ in phlegmaticis & melancholicis, adeo ut ambabus largiri

largiri manibus cogamur effari Galenici veritatem, quod mores sequantur temperamentum corporis.

§. 3. *Æternæ etiam veritatis esse non dubitamus, unicuique particulæ activæ peculiarem à Deo competere characterem, juxta quem specificè agat, (qui tamen ab alio extrinsecus accedente ita superari interdum potest, ut relicto priorì specifico suo agendi modo eundem cum posteriori motum conservet) quod sole meridiano clarius elucescit ex aqua simplici genuino plantarum omnium nutritio succo, quæ in acetosella acescit, in nasturtio in acrem convertitur humorem, in liquiritia dulcescit, in absinthio amaricat, in aliis suavissimum, in aliis molestissimum naribus odorem offert, ut de specifico uniuscujusque fere plantæ colore nihil dicamus. Haud obscure id etiam elucescit ex detestanda hominum cum brutis commixtione, ac prodeuntium exinde monstrorum generatione, nunquam enim vel integri homines, vel bruta perfecta, sed corpora de utrisque participantia producuntur, cujus mirandi sane phænomeni non aliam allegari posse causam suspicamur, quam specificum humani feminis, secundum quem agere in generationis negotio cogitur, characterem.*

§. 4. *Ultimo tandem loco id confirmant contagia, exigua quamvis mole, ob summam tamen, qua gaudent, activitatem, magnam sæpe stragem edentia, dum morbida facta pecus totum corrumpit ovile, de quo etiam Juvenalis lib. 1. Satyr. II. vers. 78. canit: dedit hanc contagio labem, & dabit in plures, sicut grex totus in agris unius scabie cadit & porrigine porci, uvaque conspecta livorem ducit ab uva, tanta quippe pollent in introducendo humoribus nostris specifico suo motu, similesque in nobis producendi morbos efficacia, ut nisi principiis obstemus sero dein medicina paretur, dum mala per longas invalere moras. Multo magis autem præfenti præter modo dicta inserviunt scopo, quæ de salivæ canis ra-*

bidi, de lactis & sanguinis in propagandis subjecti sui, ex quo prodierunt, moribus efficacia autores passim inscriptis suis reliquerunt. De priori enim unicum saltem ex multis nominare auctorem placet, Listerum scilicet in Exercitat. Medicin. tertia de Hydrophobia p. m. 123. expressis asserere verbis haud verentem, à morfu canis rabiosi novam naturam caninam aliquatenus homini superinduci, id quod liquido, pergit, constat, ex ejus latratu vere canino, ex linguæ exertione, rapidoque deglutiendi modo, ex potionis horrore, in erectiore hominis positione, contra procumbenti quadrupedum morte, ejus delectabilis prospectus, spontanea & vehemens appetitio &c.

§. 5. Quoad posterius recensitos humores consentientes habemus antiquos non minus, quam recentiores, ex illis enim Diodorus lib. II. refert, Imperatoris Tiberii Neronis nutriculam porui nimium indulisse, ex quo factum, ut Imperator etiam insatiabili per totam vitam laboraverit bibendi appetentia, quare mutato Tiberii Neronis nomine, Biberius Mero à Romanis fuerit appellatus. Ex recentioribus præter Helmontium illum per ignem philosophum, qui salaces, iracundas, avaras, furtivas, aliisque perversis prædicas moribus nutrices, pravos etiam mores hosce infantibus cum lacte communicasse testem oculatum se profitetur Tractat. de infant. Nutrit. pag. 622. eidem quoque sententiæ favent Etmullerus in Valetudin. infant. cap. 2. §. 7. & ex eo Doleus in Encyclop. Med. lib. 6. de Morb. infant. cap. 1. p. 372. ex quibus patet, male suis consulere infantibus matres, quæ nutricibus fornicationum maculis ut plurimum conspurcatis lactandos eosdem committunt, qui error vix condonandus tanta etiam quibusdam in locis coepit incrementa, ut in luxuriarum pronum sceminarum genus levissima etiam de causa proprias infantibus mammas detrectet, corruptissimos sapius eorundem animos

non

non sine suspiriis lachrimisque postea deplorantes. Sanguinem tandem animalis sui obtinere naturam, & eorum similes facile potanti inducere posse actiones, exemplis duobus fide admodum dignis confirmat Daniel. Becherus Spagiric. Microcosmic. l. 1. c. 12. pag. 72. quorum alterum, ex Julii Capitolini petito momento, testatur Faustinae Marci Antonii Philosophi uxorem, cum sanguinem gladiatoris calide exceptum ebibisset, statimque cum marito concubisset; gravidam factam, peperisse hominem ferocissimum ac crudelissimum; alterum est de Caligulae Imperatoris crudelitate, nutrici crudeli & barbarae, quae papillarum. insuper oras sanguine illiniverat, infantemque exsugere fecerat adscribenda; id quod etiam confirmare non parum videtur historia Weinrichii in Tractat. de monstris allata, & ab Ammano in Iranic. suo Numae Pompilii cum Hippocrate p. m. 236. allegata, de sanguine felino, quem puella quaedam pro potu hausit, & naturam atque mores felis postmodum omnes induit. Ex quibus huc usque allatis tandem concludimus; si inclinationes & mores magna ex parte dependent à temperamento, ita ut brutorum mores homini possint introduci, sequitur etiam amorem aliorum instar affectuum de subiecto in subiectum transferri posse, adeoque nullam amplius subesse dubitandi rationem, quo minus philtrea existere naturalia statuere nobis concessum sit.

§. 6. Hisce igitur jam delibatis circa materias ejusmodi philtro-  
rum paululum nos esse sollicitos oportet, quas non alias esse posse, nisi ab homine defumtas, ex dictis fluit; non incongrue ergo nos facturos esse speramus, si quatuor potissimum corporis nostri humoribus effectum istum tribuamus, sanguini nimirum, salivæ, sudori & semini. De sanguine res jamdum in proparulo est, dummodo supradicta modo rite pensavimus; si enim brutorum sanguis subiecti ex quo prodiit mores alteri communicare potest, multo magis à sanguine id expectan-

peſſandum erit humano, activioribus longe particulis prædito; cujus ſententiæ Patroni etiam exiſtunt tres haud infimæ fortis Medici, quorum primus Daniel Becher. l. c. l. r. c. 14. naturale ex ſanguine philtrum parari poſſe non tantum aſſerit, ſed & ipſum parandi modum addit, varia adducens exempla eorum, qui arcano hoc brutorum & hominum ſibi compararunt amorem. Simile parandum nobis ex ſanguine humano philtrum proponit alter aſſerto noſtro favens Medicus Beguinus Tyrocin. Chemic. l. 3. c. 1. p. 446. cujus ope inſenſiſſimos etiam inter ſe diſſentium animos componi poſſe ſanctè affirmat. Alio eſſi modo procedentem nunc in medium producemus tertium opinionis noſtræ fautorem Tenzelium, qui in Medicina ſua Diaſtarica transplantatione quadam rem expediendam eſſe arbitratur, quando nimirum variæ pro vario intentionis ſcopo plantarum ſemina terræ, ſanguine vel ſudore vel alio illorum inter quos odium eſt humore imprægnatæ committenda, hæcæ autem dein dictis humoribus ad perfectionem uſque plantarum irroranda & nutrienda, deniq; plantam enatam ipſam ſub certa doſi exhibendam effectum præſtare certiffimum docet. Notatu digna magis eſt, quam & huc transferre placet, Theodori Moreti à Sachſio in Gammarologiæ c. 9. allegata hiſtoria, qui noviſſe ſe hominem aſſerit, qui roſam arboream ſedulo ſuo ſanguine aliquoties per annum è vena educto rigaverit, roſas magnati cuidam induſtrie porrexerit ipſe aut porrigi juſſerit, ut cum odore roſæ tranſiret in principem affectus ſympathericus ergà officialem, effectum tam potenti, ut princeps fuerit admiratus, itaque monitus de naturali tali effectum, roſas poſtea nullas acceperit, niſi quas ipſe decerpſiſſet.

§. 7. Dum vero de ſanguine philtrorum exiſtente materia hic loquimur, novam quaſi ſuperare difficultatem cogimur, quam circa deleteriam menſtruorum virtutem nobis movere conantur antiquorum placita, ſacræ ipſius ſcripturæ aliorumque



rumque authorum medicorum æque ac aliorum fundata authoritatibus, rationum etiam quarundam momentis haud destituta, loquentem quippe de menstruatis introducunt Mo- sen summum divini quondam populi Legislatorem; omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium donec impleantur dies purgationis suæ, quin imo interdictam ex nonnullorum legibus fuisse menstruatis fœminis hominum societatem, cremataque in quæ pedem potuissent loca, pro certo nobis affirmant; unde Florus non modo apud Plutarchum in Symposiis vitiosum hunc sanguinem esse confirmat, sed & Hesiodus ne in balneis verferetur quis, ubi lavatæ sint mulieres menstruatæ, prohibet, & si hæc omnia, minime nos moverint, reverenter admodum à nobis agnoscendam his adjiciunt duorum artis nostræ principum Hippocratis & Galeni autoritatem eidem faventium sententiæ; quorum primus lib. 1. de morbis mulierum malignam sanguinis hujus expressus qualitatem & radit, inquit, terram velut acetum, & mordet, ubicunque mulierem contigerit, & uteros exulcerat, quod mutatis saltem adstruere verbis videtur alter, Galenus scilicet libr. de atra bile c. 8. singulis, inquiens, mensibus sanguinis portio inutilis & superflua non quantitate solum, sed etiam qualitate excernitur. Ne autem solis pugnasse videantur authoritatibus rationes etiam in medium proferunt non contemnendas, & vitiosam necessario sanguinis hujus debere esse qualitatem exinde evincunt, quoniam 1. Plinio & Columella testantibus illius contactu vites novellæ arefcunt, exuruntur hortorum germina, specula velut tabe inficiuntur, 2. quoniam infantum variolæ & morbilli ex sanguinis hujus inquinamenti oriuntur, 3. quoniam cum menstruatis concumbentes vel lue venerea, vel gonorrhœa afficiuntur, 4. quoniam per experientiam constat, liberos à variolis rarissime deprehendi masculos, cum écontra plurima sexus sequioris

C

mor-



morbos hos nunquam perpessi prostant exempla, certissimo indicio, vitiosam hanc cum menstruis excerni materiam, 5. quoniam suppressi menses plurimorum eorumque gravissimorum saepe morborum fecunda mater existunt.

§. 8. Jam verò ne in controversiæ hujus decisione prolixitate abutamur, levi saltu ea omnia transvolare constituimus, non parum igitur miramur allegatum ab illis ad hanc materiam supra citatum S. S. dictum, cum non de menstruatibus sed puerperis illud agere manifeste satis ex contextu pateat; defunctum quippe est ex capite Levitici XII. v. 4. quod totum caput de puerperis earumque purificatione agit, reliquæ autem adductæ autoritates communi nituntur hoc veterum errore, à medicis ad alios traducto, quo à particularibus statim ad universalis, non attendendo simul status naturalis & præternaturalis differentiam, concludere non dubitarunt, neque enim nos negamus vitiosam quandoque sanguinis hujus crasin in statu præternaturali, non æque tamen naturæ, de quo hic nobis sermo est, & quid multis? concussis mox rationibus autoritatum harum fulcris, uno quasi impetu sua sponte corruet universalis hypotheseos hujus machina. Præterquam enim quod dubitare adhuc liceat de testimonii allegati veritate, quod si tamen pro vero illud agnoscamus, minime ejusdem particularitas totius hypotheseos involvet universalitatem, secunda falso nititur præsupposito, adeoque merito rejicitur, quoniam non sanguine sed purissima chyli parte factus nutritur, tertiæ desideratur universalitas, an ab omni cum menstruatibus celebrato concubitu lues venerea vel gonorrhœa oriatur, quod probare minime poterunt, sicuti & de quarti asserti veritate dubitari adhuc posset, quoniam firmissime nobis persuademus, instituta studiose comparatione partem sine dubio utrorumque fore numerum, & quamvis quinsum lubenter illis concedamus assertum, fallaciam tamen in eo  
non

non causæ ut causæ ut plurimum ab illis committi dissimulare haud possumus, dum qualitati attribuere solent effectum solæ quantitati adscribendum, notanter autem adicimus ut plurimum, quo ipso non negamus peccare quandoq; etiam in morbis à suppressione mensium abortis sanguinis qualitatem, magis tamen per accidens, stagnationem scilicet, quam per se; nihil proinde & hanc moramur objectionem, quo minus eundem menstruo sanguini quam reliquo tribuamus effectum.

§. 9. Salivam & sudorem phyltrorum annumerandos esse materiis, vulgare lippis atque tonsoribus notum experimentum confirmat, quo constat pane vel sub axillis gestato, vel masticato canes associari posse comites, tanto sæpe herorum suorum flagrant amore, ut ne transversum etiam unguem ab illis discedant, ex vitæ sæpius periculo illos liberantes, quod præter quotidianam experientiam historicorum plurimis, si prolixitas nobis arrideret, comprobare exemplis possemus, spirituosissimum enim salivam esse liquorem satis superque elucescit ex elegantissima Excell. DN. D. HOFFMANNI Consilarii & Archiatri Onoldini, & Professoris Altdorffini Celeberrimi, Studiorum nostrorum Promotoris ac Patroni maximi, p. t. Facultatis Medicæ Decani spectatissimi de Saliva Disputatione, qualis effectus sudori etiam de negari nequit. Ecquid tandem de virili sentiendum semine? Nonne de insigni ejusdem in sexum sequiorem efficacia duo ab ipsa jamdum experientia confirmati testantur effectus, dum chlorosin antehac conspicuam in virginibus, nullis efficacissimis licet cedentem remediis, hisce matrimonio junctis primus sæpe aut alter coitus tollit, pari etiam modo manifeste satis alter ejusdem deprehenditur effectus in abortis post conceptionem symptomatibus, haud obscuris ingravidationis signis, & nisi me omnia fallunt, mirandam in procurando inter conjuges amore virilis teminis efficacia iam vetustate trita comprobatur.



probat Germanorum loquendi phrasis de conjugibus primis, ceu vocant, mensibus nonnihil inter se dissidentibus; Wann sie nur erst werden ein Kind miteinander zeigen / werden sie schon besser leben / manifesto certo indicio, quantam in ipsa imprægnatione foeminarum genus patiatur alterationem, ad harmoniam conjugialem amicissimam profuturam.

§. 10. Probata igitur hucusque satis, ut arbitramur, philtrorum naturalium existencia, examinatisque eorundem materiis, in horum etiam, qui contrariam foventes sententiam in destruenda nostra hypothese omnem movere lapidem conantur, authorum rationes nonnihil nunc ulterius inquirere haud erit incongruum, cum contraria juxta se posita magis elucefcant. Agedum igitur circumspiciamus tantisper, num tanti deprehendantur esse ponderis, ut nostram evertendi hypothese vim habeant ineluctabilem. Enimvero si omnium authorum contrariantium nomina eorumque dubitandi rationes in medium essent proferendæ, dissertationis profecto transire limites cogèremur, veniam proinde dabunt Lectores benevoli, si præcipua saltem dubitationum momenta sub incudem revocemus. Ad horum autem authorum classẽm pertinent ex pluribus nominandi Sennert. in institut. lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 3. p. 163. & Medicin. pract. lib. 1. part. 2. cap. X. pag. 124. Horstius de Natura Amoris p. m. 433. Hermannus Grube in analysi nova de transplantatione morborum sect. 2. c. I. p. 45. Stalpart vander Wiel obs. 19. p. 224. & plures alii. Præcipua autem eorundem hæc esse videtur ratio, quod dicant, propter arbitrii humani libertatem voluntatem ne quidem à dæmone, multo minus à causis cogi posse naturalibus, ideoque nullo modo amorem induci. Ad nodi hujus Gordii, etsi primo intuitu sati arcti, solutionem non Herculis nos indigere gladio confidimus, præterquam enim quod inducti per philtra amoris exempla negare non possunt, non directe neque

diabolica, neque naturalia, in voluntatem agere philtra, sed saltem indirecte, sciant, & priora quidem ex divina permissione authorem agnoscunt diabolum, per varia phantasmata & excitatas cogitationes homines commoventem, posteriora vero, uti sequentia prolixius docebunt, operantur, quatenus humores corporis vario atque vario modo disponunt, ex quorum constitutione diversa diversos oriri animi affectus, superius jamjam probavimus. Proprio insuper gladio jugulare nos arbitrantur dicendo: amorem esse boni pulchrique jamdum cogniti desiderium, ignotique juxta Poëtam nullam esse cupidinem, quinimo objecta prius ad mentem philosophorum movere debere sensus, antequam eorum vel appetitus vel fastidium oriri possit. Jam vero præsupponunt, illos quibus philtra sunt propinata, se amari nescire, aut nullum ejus, à quo amentur, habere notitiam, exinde per bonam sequi consequentiam contendunt, amorem philtra inducere non posse; sicuti autem prius ambabus largimur manibus, ita posterius neminem unquam, nisi respective, statuisse persuadere nobis pariemur, cum æque absolum videatur, amorem sibi concipere vel odium erga objectum quoddam externum, absque prægressâ ejus cognitione, quam sine capite hominem, nihil enim est intellectu, quod non prius fuerit in sensu, & anima nostra ex receptis judicium format ideis, quas si sub specie boni apprehendit, amat, si sub mali, averfatur, ideæ autem nonnisi ex objectis sensus externos moventibus oriri possunt, nunquam enim Chærea exarsisset amore Pamphilæ, nisi in plateis eam conspexisset, nunquam Dido Æneæ Trojani Ducis amore fuisset accensa, ejusque petiisset amplexus, nisi illum vidisset; nullam erga rationem videmus, multominus statuere animus est, sine objecti cognitione amorem vel odium enasci posse.



§. 17. Reliqua, quæ ceu firma opinionis suæ fulcra nobis obijciunt dubia, falso maximam partem niti fundamento videntur, quatenus hoc ceu verum supponunt, quod probare nunquam poterunt, omnia nimirum, si quæ dentur philtrea, explicitam vel implicitam involvere dæmonis cooperationem, ex quo deinde præsupposito sequentes emerferunt syllogismi: Quodcunque authorem & administratorem habet diabolum, illud non est naturale. Atqui philtrea authorem & administratorem habent diabolum; Ergo non sunt naturalia. Sed quisnam eorum probabit minorem. Eiusdem farinae est syllogismus subsequens: Quorum non existunt causæ naturales, illa naturalia dici nequeunt. Atq; philtreorum causæ non existunt naturales, ergo naturalia dici nequeunt. Sed ex Democrati forsitan puteo, ubi adhuc sepulta jacet, minoris & hujus propositionis eruenda erit veritas. Ultimo tandem loco argumentantur: Quæcunque curatio absque characteribus aut aliis superstitionis imaginibus cantionibusque magicis administrari nequit, ea non est naturalis dicenda. Atqui philtreorum curatio est talis. Ergo: Sed & in hoc syllogismo æque ac prioribus, si minorem attendamus propositionem, eximia committitur petitio ejus, quod est in principio. Talia igitur dubia, cum minoris momenti sint, nec nostram evertere hypothesein possint, ne tempus inutiliter teramus, missa merito facimus. Aliud adhuc Sennertus maxime urget dubium, dum propria forsitan ævi sui de philtreorum effectu convictus experientia statuit, etiamsi tale quid, amor scilicet post philtrem propinatum, contingat, id ob conversationem potius cum illa persona, quæ philtrem exhibuit, provenire. At vero quando quæso philtrea propinantur? Nonne post adhibita prius omnia, ad amorem conciliandum quæ excogitari possunt, persuasoria argumenta? Nonne post tentatas jamjam omnes frustraneo tamen effectu amoris illecebras, ut scopo suo

suo amantes potiantur, ad philtera demum ceu sacram salutis suæ anchoram confugiunt? Si ergo conversatio amoris existeret causa, cur non ante exhibitionem idem secutus est effectus, eadem proculdubio conversatione jam prægressa.

§. 12. Ut jocosa tandem feriis quoque misceamus, unicam adhuc, magni, si Diis placet, ponderis rationem à Rodérico à Castro in Medic. suo Politico lib. 4. c. 2. p. m. 216. allegatam, in proscenium hac vice ducemus, ad cujus

*auditum admissi risum tenatis amici,*

quæ Philtera impugnare ex eo allaborat fundamento, quoniam nullum in sacris libris, aut ullis aliis probatis authoribus, veri & constantis inter conjuges, vel amantes, per philtera conciliati amoris exemplum proster; Sicuti autem manifestam posterioris falsitatem arguunt fide dignæ Langii & Michaelis beatorum Practicorum quondam Lipsensium felicissimorum, ut & aliorum authorum, annotatæ historiæ, ita debiliori adhuc prius nititur fundamento, quasi vero res præfertim physicæ, de quibus in sacris nulla mentio fit libris, existere etiam non possent. Excussis ita pro ingenii modulo præcipuis dissentientium rationibus probatisque ulterius philteris naturalibus, an in certam agere personam queant, paucissimis adhuc est disquirendum, cujus questionis affirmativa responsio partim ex antecedentibus fluit, partim ex consequentibus, agendi scilicet modo, capite sequenti declarando ulterius patefcet; si enim philtera naturalia inducunt amorem & non cœcam saltem in venere libidinem, si non aliæ effectum hunc peragere possunt materiæ, quam ex homine philtrum propinante defumtæ, sequitur amorem istum dein etiam non in aliud, quam hoc individuum posse esse directum. Atqui prius probavimus jamdum, & porro adhuc probabimus; Ergo & posterioris infallibilis erit veritas.

CAP. IV.

CAP. IV.

*In explicando agendi modo est occupatum,  
cum adjecta philtorum poena.*

§. 1.

**D**Evolvitur igitur nunc ad declarandum hoc ipso capite philtorum nostrorum agendi modum, quem eâ qua possibile erit perspicuitate tradere constituimus, ut medicinæ non tantum sacris initiati, sed & omnes, quos æquus amat Jupiter, mentem assequi nostram queant. Quum vero exempla non modo, sed & similia quamvis non probare, illustrare tamen mirifice soleant, & hæc etiam pro scopo quandoque nostro eo melius obrinendo nobis inserviant. Duplici autem modo amoris ea existere causam concipimus, & primo quidem per inductam in utroque subjecto similem humorum dispositionem, secundo per similem ex hac dependentem morum similitudinem. Confirmare non parum videntur utrumque hoc assertum nostrum exempla ex superioribus hic repetenda, ubi amorem primo ex simili humorum dispositione oriundum suppeditant consanguinei, secundo per morum similitudinem introductum testantur amorem martiales nullum habentes commercium cum imbellibus & timidis, generosi item similes amantes & magnanimos, & quemadmodum modo dicta duo exempla philtora superius testabantur esse naturalia, id est, à sola natura, nulla extrinsecus accedente arte oriunda; ita ejusmodi etiam philtora à nobis denominantur naturalia, quatenus arte quidem parata, causas tamen & agendi modum naturalem agnoscent. Utrumque autem hunc effectum simul & semel præstare & potest & solet jamdum dicta philtorum nostrorum materia, quamprimum enim massæ sanguineæ ejusdem communicatur activitas, specificum suum agendi modum illi



illi imprimit, quo facto sanguis illius, cui philtum est propinatum, eundem servat motum cum illius, qui philtum propinavit, sanguine, quoniam vero nullus in rerum natura concipi motus potest, sine materiae alteratione, sic etiam per immutatam hic humorum motum ipsa quoque alteratur eorundem crasis & mixtio, ut conformis fiat cum temperamento alterius, & hoc modo similem in utroque subiecto introducere humorum dispositionem philtum dicuntur; præterea quoniam ustratus satis est medicorum canon, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus, quales spiritus, tales cogitationes esse, hinc non potest non sub simili humorum dispositione similis quoque oriri affectuum harmonia, id quod eleganter iisdem fere verbis exprimit illustre Jenensium Sidus Magnus Wedelius in patholog. Medic. Dogmat. Sect. II. c. 7. v. 9. philtum, inquit, agunt in humores, humores in spiritus, spiritus dispensant affectus. Egregie hunc agendi modum illustrat simile à canis rabidi saliva petum, sicut enim hæc introducit mores sui ex quo provenit subiecti; sic non absimili modo e. g. saliva vel sanguis &c. inducunt mores hominis ex quo prodierunt, ubicunque igitur eadem humorum dispositio & dependens ex hac affectuum reperitur concordia, ibi amorem profecto etiam reperiri certo statuendum est.

§. 2. Diffiteri interim haud possumus, vix diu duratum sibi esse promittendum ex philtorum exhibitione amorem, nisi per obsequium ejusdem continuus conservetur fomes, unde mutatum sæpius amorem à philtis inductum brevi temporis spatio in odium plusquam vatinianum videmus, cum enim ex humorum ac spirituum dispositione varia variant ideæ, & ex his prognati affectus, hæc autem humorum dispositio per res innumeras quæ politicas, quæ domesticas & forte rixas inde subortas, diffidia, atque causas alias, animæ pathemata subinde variantes, mirum quantum variari possit

D

hinc

hinc in aprico esse arbitramur, mutata pristina humorum dispositione affectus etiam mutari necesse esse, confirmant hoc ipsum non tantum hydrophobiae, sed & ipsius amoris per philtrea industi curationes, deinde mira temperamentorum mutationes, dum ex sanguineis phlegmaticos, ex cholericis fieri melancholicos toto observamus die, accedit & hoc, quod certa quovis die per transpirationem, itemque nutritionem absumatur humorum quantitas, per alimenta rursus necessario supplenda, adeo ut sagaciores etiam naturae consulti asserere haud vereantur, intra decem annorum spatium ne guttam amplius repertum iri sanguinis illius, ante hoc tempus in corpore nostro praesentis, quam etiam rationem esse affirmant, quod in nonnullis citius, in aliis tardius temperamentorum fiat mutatio, prout vel major vel minor per transpirationem consumpta fuerit humorum copia; & si quandoque, quod saepe pro dolor accidit, illae, quae philtrea amafis suis exhibuerunt, Junones sint iratae & Proserpinae latrantes, ovinam interim tandiu simulent mansuetudinem, usque dum patientionis suae scopum obrinuerint, post initum autem matrimonium mordentis instar Xantippae maritum excrucient, aut alia quadam vitiorum macula conspurcata deprehendantur, tunc eo citius amoris lacerabitur vinculum; pari autem modo rem se habere cum sexu etiam potiori nobis persuademus. Quare minime utroque, quod ajunt, pede in eorum abire possumus sententiam, qui inter conjuges plusquam vatiniiano se invicem prosequentes odio indissolubilem per philtrea procreari amorem posse sibi concipiunt, non perpendentes variantem humorum dispositionem, philtrea quippe non movent animum, sed saltem alliciunt, neque voluntatem cogere, sed flectere quodammodo solent, per impressiones & affectus ex simili humorum dispositione oriundos, quam primum ergo haec tollitur, quod saepius accidit, humorum harmonica dispo-

dispositio, necessario cessant ideæ & ex his per consequens obortus amor.

§. 3. Quibus accuratori judicii lance pensitatis, non æque simpliciter etiam eorum nobis arridet opinio, qui sine aliqua læsæ conscientiæ macula philtera exhiberi posse sibi persuadent. Præterquam enim quod dubia per supradicta fuerit reddita indissolubilis hæc inter conjuges sibi invicem infensos amoris per philtera conciliatio; neglectâ, ut in proverbio est, trita per media legitima & christianæ pietati conformia, preces inprimis serias ad Deum fusas, via, aliam sibi quærere sèmitam, impium esse judicamus; accedunt maxima, quibus homines sæpissime exponunt philtorum compositionum imperiti alios vitæ pericula, qualia à Medicis edocti Juris Consultorum etiam agnoverunt leg. 38. §. 5. ff. de pœn. in verbis, sequentibus; Qui abortionis aut amatorium poculum dant, etsi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam, amissa parte bonorum relegantur, quod si eo mulier aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. Elegantem profecto legis hujus explicationem nobis suppeditat Carpz Pract. Crim. p. 1. q. 21. n. 18. si philtum, inquit, sive poculum amatorium sine dolo, causa amoris liciti datum, & mors præter intentionem secuta fuerit, dans nequaquam pœna mortis sed extraordinariè, veluti relegatione, vel alia pœna arbitraria puniendus est, consentit ergo Carpz. in verbis modo allegatis, verba, sine dolo, liciti amoris denotare causam, quamvis autem liberum cuilibet in hac re relinquamus iudicium, si tamen, quod res est, fateri cogamur, nullo modo sub quocunque etiam prætextu fieri soleat, licitam esse philtorum exhibitionem nobis persuademus.

§. 4. Justas proinde meritorum suorum luere pœnas solet sceleratum ejusmodi hominum genus, & quidem nisi mortem philtera inferant, juxta legem supra allegatam, relegatione &



partis bonorum amissione, si vero homo perierit, summo supplicio. Mitius equidem amoris punienda esse delicta & à pœna ordinaria semper eximendos delinquentes, Grillandus de Sortileg. Paulus Zacchias quæst. Medic. legal. l. 2. tit. 1. quæst. 10. & plures alii arbitrantur, eaque propter ad iudicis etiam arbitrium rem hodie redactam esse affirmant, nos tamen miserandam quam ludere sæpius solent exhibita ab imperitis philtrea tragœdiam considerantes, contrarium potius statuere haud veremur, graviori pœna afficiendos esse eos arbitantes, ut ex alieno alii damno respiscere discant, & à periculoso ejusmodi deterreantur proposito, quamvis probe simul attendendam esse syadeamus intercedentem exhibita inter philtrea differentiam, in Dissertatione hactenus probatam, inter philtrea nimirum magica & naturalia; quemadmodum enim graviori nobiscum pœna digna censentur omnes JCI philtrea, vel manifestum, vel occultum, cum dæmone pactum supponentia; ita mitius profecto tractandos esse eos, qui naturalia exhibuere philtrea, sole etiam meridiano clarius elucescit, licet nec eosdem ab omni pœna liberandos esse censeamus, quæ tamen, utpote ad forum nostrum directe non spectantia, ne falcem nimis in alienam immittere messem videamur, JCI torum sapientissimorum relinquemus ordini, ad alteram Dissertationis nostræ sectionem properaturi. Omnes interim & singulos Dissertationem nostram legentes, sincera adhortamur mente, ne illicitis ejusmodi mediis temporalem æque ac divinam post se pœnam trahentibus miseras suas excrucient animas, tutiori præsertim eaq; licita, qua incedere possunt, via præsentem; monstrabimus enim illis (ut Senecæ verbis Epist. 9. uti liceat) amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine, à Cœlesti Nostro Amore nobis suppeditatum: Ama proximum, uti te ipsum, quo philtro rite applicato, certissimum sine ulla læsæ conscientie macula sibi promittere effectum poterunt.

SECTIO.

SECTIONIS POSTERIORIS

CAPVT I.

*Philtroꝝ noxas delineat.*

§. 1.

**M**Orbifica ut plurimum philtꝛa fuisse lugendæ fatis, numeroq; haud exiguæ reperiundæ in medicorum scriptis testantur historia, præter enim vomitus, anxietates, sudores, lipothymias, hæmorrhagias, convulsiones, & plures alios hujus farinae morbos, nec non deliria individuos plerumque eorundem fuisse comites, juxta illud Nasonis; Philtꝛa nocent animis, vimque furoris habent, ex observationibus mox recensendis patebit. Speciatim deliria philtroꝝ assumptionem infecuta præter alios scriptores, brevitatis causâ hic reticendos, annotaverunt Rulandus Cur. Empir. pag. 32. Stalpart van der Wiel observ. Medic. Rar. Cent. post Part. priori obs. 19. pag. 220. Borell. obs. Medicophysicarum cent. 1. Obs. 65. p. 67. Riedlinus Observ. Med. 52. p. 111. Bockelius, Schenckius, Welschius, & alii. Notatu dignum autem est, quod lenta plerumque morte, nisi violentis quandoque manibus sibi ipsis vitæ filum abrumpant, (quod Lucretii Poëtæ fatum testatur,) decedere ejusmodi patientes soleant, dum mania in melancholiam, & hæc tandem in lentam degenerat mortem, quam sine prævio semper delirio inducere etiam philtꝛa posse, & Balduini Ronsæi, de quodam, cui ardens amasia ut remorantes properaret nuptias, nihil mali imprudenter cogitans, philtꝛum propinavit, in lentissimam paulatim nullis proficientibus auxiliis mortem incurrente, & Theophili Bonneri, de Baronis quodam filio Bononiæ degente, accepto philtꝛo

D 3

toto

toto contabescente, & tandem mortuo, confirmant historia. Quemadmodum autem morbi supra dicti symptomatum plerumque vices gerunt; ita palmarium quasi morbum, deliria nimirum, ut in concessis maneat terminis dissertatio, lustrare inpraesentiarum constituimus, visuri, qua ratione duro huic nodo, durus quoque opponi cuneus possit.

§. 2. Prius vero quam illud fiat, non inutilis erit curiositas nostra, in rationem, cur sine suo philtra potissimum frustrentur, inquirendi, de qua alium apud authores silentium, cum vero dari philtra amorem naturaliter inducentia ex superioribus constet, in illa minime frustranei effectus culpa conjici potest; ex propinantis ergo parte vitium esse necessario judicandum est, & modo quidem duplici, vel primo preparationis ritae ignorantia, vel secundo debita applicationis imprudentia. Quanta compositionis genuinae pharmaci alicujus ignorantia inferre damna soleat, praestantissimi alias effectus remedia, ex chemicorum scriniis perita, suo confirmare exemplo possunt, quid quod accuratissima in philtorum preparatione opus esse scientia, authores unanimi testentur suffragio, quanta autem in applicatione remediorum tam quoad tempus, quam quoad dosin, itemque formam opus sit prudentia, tragica multorum empiricorum purgantia, vel generosa alias remedia, aut tempore intempestivo, aut dosi nimia, aut modo incongruo exhibita, omni exceptione majus suppediant testimonium, de tempore enim optime Gellius canit:

*Diversos diversa juvant, non omnibus annis  
omnia conveniunt, res prius apta nocet.*

Elegans etiam hanc in rem Ovidii lib. 3. de remed. amor. v. 131. est distichon;

*Temporibus medicina valet, data tempore profunt,  
Et data non apto tempore vina nocent.*

Non

Non minorem inferre noxam posse doseos imprudentiam, unicum opii evincet exemplum, cui enim salutiferam illud medentibus præstare opem laet, decenti aliis dosi commixtum, ita ut præstantius nullum ad compescendas vigilias & dolorum placandam sævitiam reperiatur remedium, quinimo nonnullos repertos fuisse medicos constat, qui praxi potius omni, quam hoc in praxi remedio carere maluerint; improvidè tamen, & dosi quidem nimia vigilias non tantum augere, sed & furorem prorsus illud inducere, aut æterno somno eos opprimere, quem fugit? Firmo adèd talo stabit asserti hujus veritas, esse modum in rebus, esse certos denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum. Jam vero si accuratius paulo consideremus subjecta philtrea propinquantia, ea ut plurimum sunt vel levioris notæ homines, vel si melioris quandoque conditionis, utriusque tamen artis medicæ expertes, qui cæco saltem imperu, sine omni discrimine, modo dicta philtrea exhibere conantur, quomodo autem quæso hac via incedentes optatis lætari successibus poterunt, cum tantis circa horum propinationem cautelis opus esse authores moneant, quibus neglectis frustranei philtreorum effectus causam facile hariolari possumus.

§. 3. Duplex autem interim in praxi deliriorum observatur genus, maniacum scilicet & melancholicum, quorum illud furorem, hoc tristitiam simul conjunctam habet, tantam inter utrumque affinitatem intercedere, à practicis est observatum, ut mania facile in melancholiam, hæc vero rursus in illam transmutari possit. Utrumque hoc delirii genus inducere philtrea solent, pro varia nimirum, prout nos quidem judicamus, subjectorum recipientium dispositione; sicuti alias etiam hos vel illos morbos huic temperamento magis esse proprios quam alii, in praxi observamus. Quum vero ad ulteriorem deliriorum horum indagacionem progredi nobis prius

non

Non



non liceat, quam aliqua eorundem præmittatur definitio, igitur ut paucis nos expediamus, deliria talia perversam esse rationem dicimus quoad cogitata & dicta. Genus hinc nobis constituit perversa ratio, tam certum quippe est, quam quod certis-  
simam organis esse animam, quamdiu suo inclusa teneretur ergastulo, ex divini conditoris beneplacito nobis constet, necessario his depravatis vitiose agere debet, spiritibus præsertim animalibus actionum instrumentis non rite constitutis. Nihil proinde & immaterialitati & dignitati animæ nostræ detrahere potest, si eam quoque pro subiecto medicinæ agnoscentes, cum Heurnio institut. pag. 58. statuimus: medicinam non in solius corporis, sed hominis, qui ex animo & corpore constat, cognitione versari, adjecimus tandem in definitione verba, quoad cogitata & dicta, ut innueremus simul primarias mentis functiones; sicuti enim præcipua mentis operatio est cogitare, sic non infimum etiam inter actiones animæ locum meretur loquela, cujus ope homo animi sui sensa vel cogitationes cum aliis quoque communicare potest, ambarum autem actionum illarum in deliriis notatur depravatio, mens ideas per sensoria accedentes non, uti in statu naturali fieri solet, bene distinguit, probe inter se comparat, neque rite & ordinatim dirigit, deinde verbis plurima male coherencia nec non absurda aut falsa profert, uti quivis delirantibus ejusmodi præfens experietur.

## CAP. II.

### *Causas deliriorum ex philtis abortorum exponit.*

§. 1.

**T**Riplex vulgo statuitur in Scholis medicis morborum causa, proxima nimirum, qua posita, immediate ponitur morbus



morbus, unde, & immediata vocatur, dein antecedens sive mediata propinqua, causa denique procatartica sive mediata remota, quæ latentem in corpore dispositionem morbosam excitat, & causam non tantum antecedentem, sed & proximam ad agendum movet. Secundum tria igitur hæc causarum genera deliriorum etiam ex philtris obortorum generis examinabimus. Eandem autem deliria philtrorum cum aliis & antecedentem & proximam agnoscere causam, adeoque non nisi procatartica tantum differre, idem testari effectus solet. Veteres deliriorum in genere omnium causam deduxerunt ex bilis adustæ in sanguine hospitantis illumque fervidum reddentis vaporibus ad caput ascendentibus, & in melancholia quidem atram magis bilem, & intemperiem cerebri frigidam, in mania vero potius flavam, intemperiemque cerebri calidam accusarunt. Sed quum ipsa non tantum ex sanguine hoc modo adusto vaporum dimissorum ad cerebrum ascensio, sed & eorundem deliria ibidem producendi modus difficulter fatis, imo ne vix quidem possit concipi, aliorum potius, quibus de meliore luto finxit præcordia Titan, ex ipsa sanguinis circulatione læsa immediatam deliriorum causam deducendum prememus vestigia. Quemadmodum enim ex æquali & libero sanguinis motu ad partes, & expedito ejusdem à partibus refluxu secretionum non minus, quam excretionum, quin imo vitalium & animalium actionum oritur integritas, quibus præsentibus optimus est hominis status, corporis & animæ notatur robur, uno verbo corporis sanitas & mentis *ivraçia* deprehenditur; ita ex circuli ejusdem læsione non corporis tantum, sed & mentis morbos esse deducendos arbitramur, non exiguam sane dictis hisce lucem fœnerantur verba Excell. Dn. D. Hoffmanni, Professoris Hallensium Famigeratissimi, Studiorum nostrorum Promotoris non sine laude nominandi in Fundam. Medic. pag. 14. qualis est, inquit, temperies & motus sanguinis & humorum, talis et-

E

iam



iam est motus spirituum animalium, & qualis spirituum animalium motus ac temperies, tales etiam mentis motus, inclinationes, & cogitationes exsurgunt.

§. 2. Haud difficulter igitur exinde colligi potest causa mania & melancholia proxima, læsa nimirum in utraque sanguinis per cerebrum circulatio, in illa quidem aucta, in hac vero impedita. Utriusque veritatem confirmant essentialia morborum horum signa, sicuti enim in mania notatur furor, oculorum ferocia, vigilia assidua, & reliqua; ita in melancholia profunda adsunt cogitationes, actionum languor, merus, pulsus debilis, &c. Nec incongrue modo dicta comprobari poterint per affectus duos animi quotidie fere in nobis obvios, tristitia nimirum & iram, quorum hic mania, ille vero melancholia manifestabit fieri modum, quemadmodum enim in tristitia circulum sanguinis imminutum oppressivæ denotant anxietates, suspiria, palpitationes cordis, capitisque gravitas, ita signa eadem in deliriis quoque melancholicis occurrentia eandem necessario agnoscent causam; in ira autem vehementiorem fieri & auctiorem sanguinis circulum, totius corporis incalescentia, faciei rubor, major actionum activitas, & plura alia testantur, quæ omnia in mania quoque conspicienda non aliam habere originem possunt, ne dicam de oculorum ferocia, sicuti in mania, ira & in ira præsentem, unde ira furor brevis etiam denominatur. Sanguinem autem non qualitate, sed motu potissimum has ludere tragœdias, exinde porro declarari potest, quoniam vel critico natura motu, vel artificio instituta sanguinis evacuationes tantam in his affectibus experientia teste adferre medelam solent, & cur quæso tantopere in affectibus ejusmodi deprædicantur pedilavia? non aliam sane ob causam nisi quod sanguinis vel stagnationem & motum impeditum in melancholia promovere, nimirum verò ejus impetum in mania à capite ad inferiores derivare

rivare

rivare partes apta sint. Antecedentem in utraque causam constituit idem sanguis in motu suo vel auctus, vel impeditus, extra cerebri pomœria veluti sedem morbi adhuc obvius, non enim nisi locorum differentiis distinguntur causa antecedens & proxima. Quemadmodum vero in utroque hoc deliriorum genere causæ variant procatarticae, & omne illud harum annumerare catalogo licebit, quod sanguinis motum vel augere, vel imminuere potest; ita in his nostris deliriis causæ existunt procatarticae sola philtrea, pro varia humorum, in quos agunt, dispositione, sanguinis motum vel augmenta, vel imminuentia. Egregie diversum hunc philtreorum effectum illustrabit simile à vino petitum, sicuti enim vinum potus est spirituosissimus non uniusmodi tamen ejusdem deprehenditur effectus, sed pro varia hominum ac ingeniorum temperatura variat, nonnullos enim hilares & lætos, nonnullos contentiosos, alios somnolentos, alios disertos, alios taciturnos reddit, alios impalescere, alios erubescere facit.

§. 3. Applicabimus jammodo, dicta ad deliriorum nostrorum, fiendi modum, visuri ulterius, qua ratione utrumq; hoc deliriorum genus inducere philtrea queant, pro fundamento autem supponimus præsentem in corpore sanguinis crassitiem, sicuti enim multum ad hujus vel illius morbi productionem conferre solet humorum dispositio; ita præsertim ea, in qua sanguinis notatur crassities, ad melancholiam atque maniam præ cæteris disposita magis videtur, quare facilius melancholici, vel cholericomelancholici præ aliis morbis hisce tentantur. Pro diverso igitur sanguinis crassitiei gradu modo maniam suboriri, modo melancholiam, firmiter nobis persuademus, adeo ut nimia sanguinis crassitie præsentem melancholia, mediocri vero mania enascatur, hinc ratio peti facile potest, quare maniam ut plurimum, rarius melancholiam inferre philtrea soleant, quoniam rarius tanta notatur sanguinis crassities,

nisi in perfectè melancholicis; ex superioribus quippe repetendum, ab imperitis potissimum philtro propinari, hincq; ut plurimum vel præparatione, vel dosi, & quidem excessiva, peccari, jam autem omnia, spirituosæ & activæ excessivæ dosi exhibitæ, in impetuosum sanguinem conjicere motum possunt, & quoniam philtroꝝ materiæ summæ notantur esse activitatis, ita eundem illis tribuere agendi modum cogimur, ex quibus facili erudere negotio possumus, quare mania tam facile in melancholiam, & hæc rursus in illam transmutari soleat, etenim quoniam impetuosum in mania nobis concipimus sanguinis motum, crassitiem ejus jam præsentem successive augeri chemicus quidam labor probabile reddit, nimirum inspissatio, ubi fluidum aliquod etsi tenue, abactis per coctiorem in auras particulis aqueis fluiditatem conciliantibus spissionem acquirit substantiam; pari modo res se habet in maniacis, ubi per nimium sanguinis motum humidum etiam consumitur, & majorem sanguis crassitiem nanciscitur, spiritus hinc tandem deficient, & circulatio infringitur, quo factò per subtiliora cerebri vasà partim ob lentorem, partim ob deficientem impulsum, sanguis ægrè mobilis ibidem stagnat, poros cerebri obstruit, & loco mania melancholiam postea infert. Melancholia viceversa nonnunquam in maniam degenerat, quando ira, vel alius animi affectus, vel intempestiva spirituosorum assumptio tardior ante sanguinis motum rursus plus æquo intendunt, ex physicis quippe notum est, corpus difficulter mobile semel in motum redactum diutissime eundem retinere.

### CAP. III.

#### *Signorum fontem exhaurit.*

##### §. I.

**P**ost causas nunc ad signa etiam indaganda pedem promovebimus, quæ cum duplicia sint, diagnostica, præsentem vel

vel imminentem morbum, & prognostica futurum ejusdem statum, sive qualiter, tempus, & modum eventus manifestantia, amicabile eadem copula jungemus. Non parum profecto genuina deliriorum ex philtris obortorum diagnosi Medico faceffit negotii, difficile quippe cognitu esse prima videtur fronte deliriorum ab aliis causis naturalibus & eorum à philtris oriundorum discrimen, quoniam communia fere iisdem signa, palmarium tamen & pathognomicum deliriorum à philtris enatorum signum præbebit prægressa ægri cum personis suspectis conversatio, & propinatus ab illis potus, vel sub alia etiam forma occultatum philtro, post ejus assumptionem male statim se habere inceperunt. Signorum horum classi annumerare nonnulli volunt, frequens ad certam personam delirantium desiderium, cum tamen idem signum in amore etiam deprehendatur infano sine philtro oborto, pro infallibili admitti vix poterit, sicuti etiam minus vera videtur illorum sententia, qui non leve philtro foeminae ab amasio oblato indicium esse arbitrantur, actiones ejusdem inverecundas; quando nempe sermonibus, cantilenis aut carminibus amatoriis delectatur, concumbendi desiderio flagrat, obvius ad concubitum seposita omni pudicitia reverentiaque promiscue invitat ac interdum cogit, cum omnia hæc symptomata in furore etiam uterino conspicua sint, nullum pro causa philtro agnoscente, natales autem suas debere illum errorem huic credimus hypothese superius jam examinatae, quæ non aliam, quam aphrodisiacam philtris tribuendam esse efficaciam volebat. Hæc suere signa specificam manifestantia deliriorum ex philtris obortorum ab aliis differentiam, nunc ea etiam indagabimus, quæ maniam à melancholiâ discerni monstrant. Jam igitur palam est maniam comitari oculorum ferociam & furem, cum subsequente per intervalla mansuetudine, perpetuas insimul adesse vigilias, plusquam herculeam fortitudinem,

dinem, & alia ex practicoꝝ scriniis petenda. In melancholia verò contrariæ fere norantur actiones, adest enim metus, tristitia, vitæ quandoque tædium, solitudinis amor, somnus brevis & turbulentus, absque ullo ordine patientes inania proferunt verba, & quæ plura sunt hujus farinae signa, pro diverso & quidem vel mitiori, vel vehementiori delirii gradu variare solita.

§. 2. Diagnosi prognosin subjungemus, quæ eo majus nobis sistit periculum, quo gravius esse deprehenditur malum, nullam tamen absolutam lethaliãtatem indicat, cum lenta plerumque morte ægri ejusmodi extingvantur, neq; omnimodam illa portendit incurabilitatem, nisi altas admodum egerit radices, omne enim malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius, sequamur ergo uti in amoris, sic & in delirioꝝ curatione Poëtæ consilium canentis:

*Dum novus est capto potius pugnemus amori,  
Flamma recens parva sparsa resedit aqua.*

Neque tamen propterea, si voto non semper successus in cura respondeat, medico id est imputandum, cum difficilem esse Philtrorum exhibitorum cognitionem jam probaverimus; ideoque facile, imo & sæpius obtingere possit, morbum, priusquam ejus causa cognoscatur, incrementa jam cœpisse, cum manifesta virium jactura, non enim est in medico semper releverur ut æger, interdum & docta plus valet arte malum, præsertim cum medicamentorum virtutes salutiferæ non in medici potestate positæ, sed à Divina demum benedictione nobis exorandæ sint, nisi enim Deus adfuerit, viresq; infuderit herbis, nil te Diptamnus, nil Panacea juvat, eandem verò ex certo etsi nobis abscondito sine denegare quandoq; medicamenti solet Deus sapientissimus ter optimus maximus.

## CAP. IV.

*Methodum medendi rationalem annectit.*

## §. I.

**F**Inem ergo Dissertationi nostræ imponat medendi methodus, quæ consistit in amoris, vel deliriorum à Philtris inductorum sublacione, quemadmodum autem de solis huc usque naturalibus egimus Philtris; ita in hoc quoque capite magicorum missam faciemus curam, quam tamen per naturalia quoque fieri remedia posse nullo modo abnegamus, præsertim cum concinne satis eandem nobis tradat Carrichterii Medendi Methodus morbis ab incantatione dependentibus, in Viri Excell. Dn. D. Mercklini Senioris, Patroni nostri maximi Sylloge Casuum physico-medicin. incantationi vulgo adscribi solitorum pag. 207. invenienda, cui adjungi poterit Frommanni Tract. de fascinatione pag. 969. Ettmüllerus in Praxi p. 978. 997. Ad Garamantas igitur & indos merito relegatur detestanda quorundam impietas, qui flectere si nequeunt superos, acheronta movere, & proficientibus nihil naturalibus remediis dæmonem cum dæmone fugare, & vel ab his ipsis, qui tragica philtia dederunt, vel ab aliis ejusdem conditionis opem implorare sagis conantur; præterquam enim quod mors potius, ut Chrysofomi utamur verbis, Christiano homini sit obeunda, quam vita ligaturis redimenda, neque facienda sint mala, juxta Apostolum, ut inde eveniant bona, infensissimus est diabolus hominum hostis, qui etiam si possit, non sanitatem & vitam, sed mortem potius & necem eorundem temporalem æque ac æternam promoveret. Sed cum, ne pilum quidem absque divini Numinis permissione incurvare ipsum posse Hiobi testetur historia, multo minus sine supremi rerum omnium arbitri permissione fasci-

fascinum tollere poterit ; perquam absurdum ergo est, ne dicam abominandum, relicto domino dæmonis implorare auxilium ; perpendite, quæso, severam delicti hujus pœnam Levitic. c. XX. v. 6. inveniendam anima, inquit ibi Dominus, quæ declinaverit ad magos, ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, excindam eam de medio populi mei, unde cum Rex Ochozias ad Beelzebub Accaroniarum idolum quosdam de valetudine sua consultum ablegasset, Elias Propheta illis obviam factus ita eos alloquitur ; Numquid, quia non est Deus in Israel, mittis ? ut consulatur, Beelzebub Deus Accaron, idcirco de lecto, supra quem ascendisti, non descendes, sed moriendo morieris 2. Reg. c. 1. Solus ergo Dominus est invocandus in die tribulationis hujusmodi, ipse enim eripiet nos. Sicuti autem præservariis à magicis philtris non alia certior datur, quam ardentium ad Deum precum fusio, ut nos custodiat ab insidiis satanæ, ita etiam à naturalibus non aliter præservare nos possumus, quam vitando suspectorum ejusmodi personarum conversationes, qui enim amat periculum, in eo peribit.

§. 2. Progrediemur ergo potius ad ipsam naturalium curam, cujus cardo in eo versatur, ut universalia juxta receptum medicorum canonem particularibus præmittatur, quæ inter, & quidem in mania præsertim, ex fonte chirurgico V. S. in utraque autem ex pharmaceutico suprema merito occupare subsellia videntur vomitoria; cum enim mediante cibo & potu noxia hæc propinentur Pharmaca, quid quæso melius ea citiusque in prima suffocabit herba, quam vomitorium mox adhibitum, cujus ope rejiciuntur demissa prius, quam ipsi sanguineæ massæ communicentur, neque inutilia erunt, si pervenerit jamjam ad massam sanguineam philtorum virulencia, nunquam enim adeo puras sibi concipere licebit primas vias, quin saburram quandam vitiosam foveant, indi-



indicantem sui evacuationem, curatum hoc modo studiosum quendam & servum, ex philtis insanos, legimus apud Rulandum lib. 1. curat. empiric. p. 32. perinde ergo erit sive in forma liquida, quod fere melius, propinetur usitata his nostris quoque temporibus aqua ejusdem benedicta, vel Syrupus emeticus, Catholicus dictus, sive sicca potius forma radix asari, ⊖ ℞. vomitivum, aut tutissimum omnium eaque propter magis usualis Minsichti ℞rus emeticus exhibeatur. Qui vero juxta Hippocratem lib. 4. Aphor. 7. ægre vomunt & paulo habitiores sunt, per inferiora sunt purgandi, quod locum maxime habet in melancholicis juxta ejusdem lib. 4. Aphor. 9. utpote qui crassis plerumque in primis viis abundant humoribus facilius ob gravitatem inferiora, quam superiora petentibus, felicem enim purgationem idem artis nostræ princeps Aphor. 21. Sect. 1. pronunciat, in qua eo ducatur humor quo natura viam affectat; purgantia autem inter eminentia rhabarbarum, agaricus, jalappa, scamnoneum, mechoacanna, folia fennæ & ex his parata composita, in deliriis tamen omnium instar tanto practici successu exhibuerunt helleborum nigrum, ut de insaniente quovis proverbii etiam loco hodie dicatur, hellebro opus habet. Nec inutilem quoque in hisce deliriis præstabunt operam digestiva dicta, sive præparantia, aliquot ante purgationem dies exhibenda, crassos attenuantia humores, acidumque morbosum in primis viis obvium corrigentia, ut catharsis facilior ac felicior subsequatur. Eorum autem classi annumerantur ℞rus ℞l. ⊕ ℞atum, ℞rus ℞latus, arcan. dupl. & similia ipsis quoque purgantibus quandoque admiscenda, quæ omnia ad certiores impetrandum effectum iterari nonnunquam poterunt, cum semper aliquid hæreat sui postulans remotionem.

§. 3. Liberatis hoc modo à vitiosorum humorum colluvie primis viis & imminuta, ubi opus est, sanguinis quantitate,

F.

tate,

ratē, æqualem illi circulationem restituerē medicus allaboret, quod fieri commodius nequit, quam per causā sangvinis circulum lædentis remotionem, hæc vero cum in subtili & activo consistat principio non exiguam ibi laudem reportabunt sudorifera cum alexipharmacis mixta, neminem enim medicinæ sacris vel leviter initiatum periculosissimos per sudorem terminari morbos latere potest; non prolixiores autem erimus in recensendo eorum catalogo, selectiora tantum tradituri, sufficere poterunt Tinct. bezoard. Wed. Mixt. simpl. it. C. C. Liquor C. C. succinatus Ess. Viper. Spirit. Ther. Camph. ꝑ diaphor. pulv. bezoard. Senn. C. C. f. Δe, Camphora, cuius in deliriis præstantiam felici hætenus cum successu haud infimi experti sunt practici, Theriac. Mithridat. & ex his parata medicamenta. Ceu specificum omnes in philtorum deliriis deprædicant secundinam humanam, cuius spiritum spiritui vini camphorato, & pulverem theriacæ admiscet Ettmüllerus in Praxi l. c. Quum vero parum specificis ejusmodi tribuant recentiores, & in his certe formulis dubii adhuc hæremus, annon spir. vin. camph. potius & Theriacæ, quam spiritui & pulveri secundinæ decantata tribui efficacia possit, neque omittenda esse in horum quoque deliriorum cura judicamus medicamenta alias etiam in mania & melancholia proficua v. g. Tinct. lapid. lazul. Ess. Anagallid. Tinct. ꝑ ii, Tinct. ꝑ iales, cinnab. Osa & plura alia ex practicorum libris huc referenda. Quum vero eadem sit urinæ ac sudoris materia, breviori quandoq; via per urinas evacuarè causam morbificam licebit, sicuti exemplum nobis suppeditat Heer. in Observ. Medic. lib. 1. obs. 13. Cui fini ingentis specifici loco commendare practici solent calculi humani pulverem in aqua nasturtii aquatici propinatum, hujusmet vero efficaciam philtro potatis & erotico amore furentibus multum profuisse su prædictus Heerius experientia edoctus l. c. testatur, quem ta-  
men,

men, si fides authoribus est habenda, effectum non specifici sed alius instar diuretici præstare ex sequentibus patebit : salia enim media urinas pellere res in foro medico est notissima, de horum autem ferme natura participare humanum calculum, ejusdem innuere videtur generatio; materialem quippe ejus causam in contentis latere liquoris urinosi à veritate haud est alienum, alcalini vero salis ibidem præsentiam color, sapor, & notabilis quandoque urinæ acrimonia arguunt, formalem vero calculorum causam in acido quærendam esse coagularivo exinde posse evinci judicamus, quoniam nihil magis calculosis nocet aut paroxysmum excitat quam nimius vini vel fructuum horæorum abusus, de utroque igitur acido nimirum & alcali participare hoc modo videtur concretum illud calculi nomine indigitatum, & in hoc potissimum vires consistere ejusdem diureticas arbitramur, ex quibus patet facili alia etiam his substitui posse negotio diuretica, de efficacia cum calculis humanis certantia.

§. 4. Nec sine ratione tandem in morbis hisce commendantur balnea & pediluvia, utrobique enim operam præstare solent non contemnendam, quatenus poros aperiunt, transpirationem promovent, & liberiori reddita per inferiores corporis partes, præsertim pedes, sanguinis circulatione, eundem vel nimio, vel imminuto motu cerebrum lædentem inferiora versus invitant, id quod frictions etiam in horum defectu peragere quodammodo solent, alia etiam topica, in mania æque ac melancholia à medicis tantopere deprædicata, & hic quoque proficua censemus; præprijis vero in mania epithemata proderunt frontalia ex aqua rosar. plantagin. aceto rutaceo, camphora, croco, opio & similibus parata, quemadmodum etiam vivas aliàs gallinas nigras vel hirundines in medio discissas capitibus rasis calide cito applicatas summis extollunt laudibus. Satis generosa profecto topica etiam



etiã sunt vincula & verbera in maniacis nihilominus quandoque summe necessaria, ut furor eorum nonnihil coerceatur; severiorem quippe ejusmodi disciplinam non parum sæpius præstitisse in furiosissimis etiã maniacis, medicæ testantur observationes, non secus ac somnambulis eandem salutarem fuisse curam experientia comprobat, sicuti enim somnambuli secundum phantasiam imperium dormientes sæpe id peragunt, quod vigilantes nunquam tentassent, sic pari modo maniaci ex phantasiam quasi imperio, & parentibus & consanguineis, quinimo intimis non raro amicis violentas inferre manus non verentur. Quum vero nihil sit tanta nos commovens vehementia, & rationem quasi excitans, ut phantasiam errorem cognoscat, quam plenus verberibus pugnis (vulgo etne gute Tracht Schläge) hinc non mirum quando in his quoque mira præstare affectibus solent, quæ etiã est ratio, quare longe vehementiora debeant esse verbera in maniacis, quam somnambulis, quoniam altiores jamdum phantasiam vires radices egerunt in illis, quam in hisce.

§. 5. Restat adhuc paucissimis saltem consideranda Diæta, quæ in exacto consistit rerum nonnaturalium dyscrasiam fluidorum catholicorum, motuique peccanti contrario usu, ne per errores in hisce commissos iterum destruatür restituta per pharmaciam conatu magno ad ruinam vergens machina humana; nihil enim magis, ut de aëre, cibo & potu, motu & quiete, excretis & retentis nihil dicamus, morbos hosce vel augere, vel correctos jamdum inducere rursus potest, quam somni & vigiliarum, animique pathematum pro diverso statu exorbitantia.

§. 6. Et hæc sunt, quæ de intricata phyltrorum materia ingenii vires suppeditarunt, favete, quæso, Lectores benevolente & lingua, & æquo vestro judicio errores dissertationis hujus tegere, studiisq; bene precari nostris haud dedignemini,  
meli-

meliora cum Deo & die sequi posse perpendentes. Sicuti autem à Jove principium, sic etiam à Jove finis erit:

Tibi ergo, Cœlestis Archiater, pro concessis sicuti in toto studiorum meorum cursu, ita in hujus potissimum dissertationis elaboratione & corporis & animi viribus gratias maximas persolvo, benedic porro ex alto conatibus meis, ut sentiam, Te esse Deum meum, expelle procul, Clementissime DEVS, ex mente mea dammandum satanæ pulvinar otium, ne libram, quam mihi concessisti, terræ mandare ausim, sed potius multum in Tui gloriam, proximique incrementum exinde lucrari queam!

F I N I S.



Phil.

~~~~~

**P**hiltra dari monstrat ROESERVS amasius,  
ipsum

Nam dudum cepit Pœoniæ artis amor:  
Divûm hominumq; dedit num Rex, vel philtra  
paravit

Cypria, vel quibus hic arsit amor facibus?  
Natura \* à teneris fecit primordia amoris,

Quæ doctrina, locus, cura, diesq; aluit.  
Noxæ sunt metuendæ hinc nullæ, dulcia ho-  
noris

Promeriti tribuet præmia doctus amor.

\* *Hippocrat. in Leg.* Quisquis medicinæ scientiam sibi verè com-  
parare velit, eum oportet hæc esse adeptum: Naturam,  
doctrinam, institutionem à puero, locum aptum, amorem  
laboris, tempus.

*Ita*

*Nobil. DN. DOCTORANDO,  
pio, probo, & verè  
erudito,*

*Fautori & Inquilino suo percharo,  
de felici studiorum  
Academicorum  
catastrophe  
gratulatur*

**JOH. MAVRIC. HOFFMANN. D.**  
Facult. Medic. p.t. Decanus.

Vide-

**V**iderat ex summô conatus vertice Pindi  
 ROESERE insignes magnus Apollo tuos:  
 Ite procul, dixit, scelerata aconita, venena,  
 ROESERVS solus robora vestra tulit.  
 Si quem durus amor crudeli tabe peredit,  
 currite ROESERVS fert generosus opem;  
 Dexteritate suâ destruxit lurida philtia,  
 ne Stygium virus porrò nocere queat.  
 Nunc igitur doctæ decernunt montis alumnae  
 Pierii laurum, perpetuumq; decus.

*Calamo quidem properante, animo tamen in-  
 fucato NOBIL. DN. DOCTORANDO hæc  
 apposuit*

**Georg. Michaël. Reinhartus,**  
 Med. Doctorand.

**N**un packt euch immerhin ihr/ die ihr stetig trachtet/  
 wie ihr durch falsche Kunst/ wolt Lieb und Brunst ent-  
 zünden/  
 gewißlich eure Kunst wird jetzt nicht mehr geachtet/  
 sie stehet/ glaubt es nur/ auf allzuschwachen Gründen.  
 Herz Köser hat mit Ruhm die Kunst zu Dunst ge-  
 macht/  
 drum packt euch immerhin/ sie wird nicht mehr geacht.

*Mit diesem wenigen wolte dem Herrn Docto-  
 rando gratuliren*

**Carl Heinrich Schwarze/**  
 Med. Candidat.

*Cur*

**C**ur cantare tuas laudes nunc copia deest?  
Grande decus nobis! Optima spes Patriæ!  
Qui dudum primam meruisti laude coronam,  
Quod nunc de Philtris docta docent folia.  
Perge labore annos & fama extendere nomen;  
Posteritas laudem dicere docta dabit!

*Prænobilissimo pariter atque Doctissimo*  
DN. CANDIDATO, de Specimine  
Doctorali gratulantur

COMMENSALES.









Altdorf, Diss., 1699-1701

ULB Halle

3

006 570 410




W 18 1/2 a + 12

V 377







B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Q. D. B. V.  
 TATIO SOLENNIS MEDICA  
 DE  
**ALTRORVM**  
**ENDI MODO**  
 ET  
**NOXIS,**  
 Quam  
 ASSISTENTE  
 NUMINIS AVXILIO,  
 NSENSV AC AVTORITATE  
 GRATIOSISSIMÆ  
 /LTATIS MEDICÆ,  
 EBERRIMA VNIVERSITATE  
 ALTDORFFINA  
**NO LICENTIA**  
 OS IN ARTE MEDICA  
 ES, IMMVNITATES AC PRIVI-  
 LEGIA DOCTORALIA  
 ritè impetrandi,  
 XIII. Octobr. A. O. R. M D CCI.  
 Equo Eruditorum Iudicio  
 submittet  
 VS HIERONYMVS ROESER,  
 Noribergensis.

25  
20

1701 3

HENRICI MEYERI, Universit. Typographi.

